



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritiva - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuctio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretionem Spirituum ... Operum Eminentiss. Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 25. Opera exteriora spiritu interiori animanda

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

§. XXV. *Opera exteriora spiritu interiori animanda.*

**C**Avendum ne sensus in actionibus nostris primam sibi sedem usurpet, indè etenim omnia mala emergunt. Sensuum occasus veritatis exortus est. Ideo vix possumus nobis ipsis polliceri aliquid nos egisse, quod omni ex parte bonum fuerit, quia licet gratia impellente, & cooperante multa propter Deum operari cœperimus, non sumus gratiæ fideles, statimque labimur ad nos ipsos. Episcopo Sardis dictum est ab Angelo, *Non invenio opera tua plena coram Deo meo. Apc. 3. 2.* Nam preces, jejunia, eleemosynæ & alia ejusdem generis opera plena sunt coram hominibus, qui solam faciem vident, sed vacua coram Deo, qui intuetur cor, nisi purâ & simplici intentione divini beneplaciti perficiendi & spiritu interiori impleantur. In Evangelio decem Virgines commemorantur, quarum quinque fatuæ exclusæ sunt à nuptiis, non defectu virginitatis, aut lampadarum sive operationum, sed quia deficit oleum bonæ intentionis & sanctarum affectionum. Idem nobis eveniet nisi opera nostra spiritu interiori & Dei amore animentur, ut placeant Deo. Vita exterior apud omnes Christianos eadem est, sed sicut horologii extima facies ab interioribus rotis pendet, & ab intimâ corporis constitutione vividus color procedit: ita boni à malis ex interiori spiritu discernuntur. Regnum Dei intra nos est.

§. XXVI. *Operum perfectio unde oriatur.*

**S**Icut qui multum comedunt semper viribus imbecilles sunt, corpore malè affecto & ad extremam maciem redacto; qui nimirum stomachi sui mensuram ignorantes, plus illi ingerunt, quàm ferre possit: alii ex adverso frugali mensa contenti, quia cibum exiguum sumunt, & qui facillè digeritur, validis semper viribus sunt, & ad extremam senectutem incolumem vitam producunt. Ita nonnulli, quamvis multa peragant opera bona, nihil ferè in